

re annis 540. Senescens autem ex casia, thuris lachrymis et surculis nidum sibi & rogom costruit, hisque succensis consumitur & ipsa ut uiuat. Ex ossibus namque & pinguedine nascitur primo ceu quidam uermiculus, & inde fit pullus atque plumata avis.

De Mahumeto.

Mahumetus Arabs aut secundum alias Persa natus nobile parente sed idololatra, matre uero Hebraicæ gentis, duxit diuitem uxorem, asseruit que se prophetam esse a deo missum, ut legem que iudeis data erat, & que Christianis, temperaret. Nimirum enim rigidas eas predicabat. Et cum nequam ille morbum haberet caducum, affirmabat Gabrielem angelum secum loqui, cuius splendorem ferre non posset, sed caderem cogeretur in terram. Hic multos Asie & Africæ populos conuocuit, quos noua religione imbuens, Saracenos ex dei præcepto uocari dicebat a Sara legitima, quasi legitimos diuinæ promissionis successores. Usus est concilio nefario Sergii monachi, ordinavitque multis fieri flexiones, & meridiem uersus adorandum, unum deum non trinum collendum, se non deum sed dei eximium prophetam habendum, omnes carnes edendas preter porcinas, morticina & sanguinem, quatuor legitimas uxores ducendas ab omnibus qui uellent. Paradisum carnalis cibi ac potius locum, & indulgedis mulieribus perhibebat, aliaque multa stulta docebat, quæ cum stultis credibilita uiderentur, facile regionis illius obtinuit principatum. Deinde coacto exercitu Damascum cepit, Phoenicen & Aegyptum occupauit atque Persiam, seruitque perfidia eius per uniuersum mundum, ut hodie Afri, Mārani, Aegypti, Tartari, Turci, Sultani, Saraceni, & ferè omnes orientales populi dogma eius peruersum acceptaverint. Anno Christi 632. Saraceni ademerunt Persis imperium, constitueruntque imperium sedem in urbe Valdacha, (alijs uocat Balthach) quæ olim Babylon fuit ad Eufratem sita. Mansitque

regnum eorum incolumē 418. annis. Deinde Turci sunt rerum potiti, quorum imperium cœpit anno salutis 1051. Tartari deinde, gens Scythica, Turcorum opes afflixerunt, suntque Asia imperium adepti anno 1294. Tamorsestus eius gentis imperator, in Cathayano regno sibi sedem fixit.

De Tartaris.

Tarrari ad Càthayum usque celebrem in extremo Oceano ad orientem ciuitatem, latissimas tenent solitudines. A septentrione uersus Hyrcanum mare habitat Zagathai Tartarorum nobilissimi, incoluntque oppida lapide constructa & habent regiam Samarcadam eximiae magnitudinis, quam laxartes maximus Sogdianæ amnis interfluit, atque inde in Caspium mare effunditur. Dicuntur autem Tartari à Tar tar fluui, qui regionem ipsorum Mongal percurrit. Est regio eorum plurimum montosa & sterilis, nisi aquis fluuiis irrigetur, unde & multum deserta est. Lignis in plerisque locis adeo inops, ut arido boum & equorum stercore incole ipsi ignes fouere cogantur. Aer & cœlum intemperatum, tonitrua & fulgura inestate horrenda, iam calor magnus est, mox frigus, & densissimæ nubes cadunt. Fuit ab initio ferus gentis illius cultus, sine moribus, sine lege, pecorum pastores. Finiti mis tributum pendebant, donec proprium creauerunt regem. Tunc finiti mos Scythes bello subegerunt & uectigales fecerunt. Inde remotores populos aggressi tam prospere, ut in breui armis suis omnia regna, gentes & nationes subegerint a Scythia usque ad solis ortum, & ab ortu solis usque ad mediterraneum mare, ut merito rex eorum iam se totius Orientis dominum & imperatorem scribat. Sunt autem Tartari omnium hominum deformissimi corpore, leues & agiles, boni equites et mali pedites. Sermone horrido sunt & clamoroso, cantantesque luporum more ululant. Non in uillis aut urbibus sed in campo ueterum Scytharum ritu sub tabernaculis habitant.

Cham